

Zf  
4215





CR. 278

46

Z f  
4275

EPISTOLA  
AMICI AD AMICUM

h. e.  
VITA  
DN.

ELIÆ WEISII,  
IN GYMNASIO ZITTAVIENSI  
PER XL. ANNOS COLLEGÆ  
CELEBRATISSIMI,

IPSO EXEQUIARUM DIE  
XVIII. APR. MDC LXXIX.

Ad

M. CHRISTOPHORUM CÆSAREM,  
ECCLESIASTEN MEINUNGENSEM,

perscripta,

à

35

CHRISTIANO VV EISIO.

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

Literis Michaelis Hartmanni.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA





*Amice Conjunctissime.*

**V**ixit igitur Optimus Parens, absolutoq; penso suo tamdiu quidem interesse voluit mortalibus, donec honorificum EMERITI testimonium reportaret, ac adeo non lugentibus, sed velut applaudentibus Amicis PLENUS DIERUM, OPERUM, MOLESTIARUM ad beatissimam æternitatem posset commigrare. Ego vero, si Parenti & Præceptori aliquem informationis fructum in ipsis exequiis debeo, parum ab ejusmodi officiis me videor absolvisse, si vel inani fletu maturam illius felicitatem contaminavero, vel tenui carminis strepitu id præstitero, quod ne ignavissimis quidem solet negari. Nimirum ita vixit communis Zittaviæ Præceptor, ut plurimum intersit Posteritatis, non ignorari actiones, quas aliquando licebit allegare pro regulis; & proinde, sicut exiguo suo damno sepeliretur Orbi Patriæq; ignotus, ita maximo viventium commodo cognoscentur Virtutes æternis Memoriae tabulis adscribendæ. Et fortasse fuerint aliqui ex immenso Auditorum cœtu, qui dexteritatem sibi toties utilem plenius olim deprædicaverint: Mihi nunc sufficiet brevi & extemporali historia id inchoare, quod aliis sive absolvendum sive imitandum relinquitur. Neq; fidem minuet testimonium filii domesticum: cum publicus multorum consensus scribendi argumento me instruxerit; & pudor, qui forte exigi posset à filio, locum non inveniat in Discipulo, quo nomine, quod bene educatus sum, plura certe de-

debeo, quam quod bene natus sum. Tibi autem, Amice conjunctissime, denuo consecrare libuit exequiale hanc epistolam, suis de causis, quas tum intelliges melius, ubi narrationis filum deduxero. Id saltem rogo, nolis inter parandi funeris impedimenta, verborum à me exigere apparatus.

ELIAS igitur WEISIUS primam vitæ lucem aspexit Anno M DC IX d. 18. Jul. quem annum multis Jubileis fuisse fœcundissimum, illi meminerint, qui percussas in Belgio inducias, confirmatamq; in vicinâ Bohemiâ Religionis libertatem fando aut legendo acceperunt. Parentem habuit GEORGIUM, LICHTENBERGÆ in agro Zittaviensi Incolam & Hortulanum; Matrem CHRISTINAM SCHICHTIAM. Ab Hortulano enim quam commodissime nasci posse videbatur, qui universum Patriæ Hortum, arboribus, non mutis & brutis, sed rationalibus & qualibet Virtute fœcundis esset instructurus. Die 20. Jul. qui Eliæ sacer est, eodem insignitus nomine, per lavacrum regenerationis Christo accessit, ab ejus vexillo nunquam discessurus. Cæterum Parentibus in medio suo opere de curâ unici hujus filii serio cogitantibus, accidit JOHANNEM SCHICHTIUM SS. Theol. Studiosum Eliæq; nostri Avunculum, in Academia Witebergensi morbis pressum, ad ædes Sororis divertere, ibidemq; valetudini refocillandæ operam dare, donec sibi restitutus à Baronibus Wiefensibus in Moravia functionem Ecclesiasticam indipsceretur. Medio tempore hunc è sorore nepotem, ingenii ac modestia causa sibi charissimum ad, prima eruditionis elementa manuduxit, plura præstiturus, si convixisset diutius. Parentibus tamen svasor extitit, nolent puerum animo non pessimo præditum à profectibus literariis impedire; fore in Oppidano Gymnasio crescendi occasionem, si plantam hanc semel ibidem insererent. Neq; ab hoc consilio alienos

habuit Parentes: utinam Belli Bohemici strepitus huic etiam  
Viciniæ five noxius five terrificus, minuendorum potius  
quam augendorum sumptuum tacitam necessitatem non in-  
junxisset. Ita sibi relictus puer evolvendis quidem libris,  
pingendisq; literis ultro incubuit, satis habens indolem ac  
desiderium demonstrare, postquam in suâ potestate non ef-  
set assurgere ad altiora. Ast ubi subactis Bohemis in re-  
motiores Germaniæ provincias belli furor transmitteretur,  
Anno M DC XXII. Viro Cl. AUGUSTINO PREILIO  
tum Rectori in manum traditus, obscurum sane locum in  
quarta Classe, clariorem tamen in Scholâ Rectoris privata  
invenit. Unde velut torrens disruptis lignorum lapidumq;  
repagulis proruere solet vehementius, ita gratulabantur  
Præceptores, adesse discipulum, cujus modesta festinatio ex-  
citandis reliquis inserviret. Superioribus tandem classibus  
adscriptus, etsi amabilitatem præcipuum hominis ornamen-  
tum semper agnosceret; cum iis tamen conversari subinde  
maluit, à quibus aliquid discere, aut quos aliquid posset do-  
cere. Quibus rebus factum est, ut Amicos haberet pluri-  
mos, inimicum qui ferio posset odisse, neminem. Et est  
vero genus Scholasticorum, qui ob innatam tarditatem se-  
qui vix queunt Præceptorem melioribus ingeniis deditum,  
vel qui, ob rusticum stultumq; pudorem, malunt nihil disce-  
re, quam interrogando & hæsitando suam publicè ignoran-  
tiam testari. Hos ipse sic alliciebat, ut quomodo exercen-  
dus stylus, quærendum Orationis artificium, investiganda  
Logices exempla, imprimenda Græcæ lingvæ essent rudi-  
menta, citius ostenderet aliis, antequam plenè cognita sibi  
vel ostensa possideret. Cum vero nihil disceret, nisi quod  
docere posset alios, Præceptorum eam meruit benevolen-  
tiam, quantam quidem è condiscipulis pauci: non sine omi-  
ne, fore hunc Præceptorem inter suos olim discipulos ho-  
noratum & amabilem. Sed Academicam maturitatem ex-  
pe

pectabat, quicquid Scholasticis laboribus fuerat inceptum: ac vicissim ardentior, post inimicitias Austriaco-Saxonicas, belli flamma liberum hunc aërem maxime reddiderat infectum: Ut proinde quodvis potius Scholæ latibulum eligere, quam dubiis alibi sive itineribus sive hospitiiis committi mallet. Ita septem fere annos in primâ Classe detentus, Anno demum M DC XXXIII. Negotiatoribus ad vernaes Lipsienfium nundinas proficifcentibus fe adjunxit, alios ibidem quæfiturus Comites, quorum subsidio pergere poffet ad Academiam Argentoratensem, quam sibi fore benigniorem, è Virorum Clariffimorum literis systaticis collegerat. Cæterum laborante sub armis Franconiâ, quid aliud poterat conjicere, quam negari â Deo transitum? sic mutato consilio apud Jenenses substitit, Præceptores nactus, in Re Philologicâ DILHERRUM & SLEVOGTIUM, in Philosophicis STAHLIUM ZEISOLDUM, HORSTIUM, PRÆTORIUM, in Theologicis, quod Studium sibi tum præ cæteris commendari judicabat, MAJOREM, HIMMELIUM, & celeberrimum GERHARDUM. Quibus certè Auctoribus sublimiorem debere poterat discendi gloriam, nisi Zittaviam interea premeret Belli Pestisq; gravissima calamitas, adeoq; prohibitis hominum commerciis, angustiora vitæ accederent subsidia. Habet vero Studiosus duo diversarum Nutricum ubera, quibus ad felicissimam ingenii firmitatem solet enutriri: *PATRIÆ PARENTUMQ; LIBERALITATEM*, ac *PATRUM ACADEMICORUM DEXTERITATEM*: Alterutro si destituatur, mirum non est dimidiam crescendi occasionem expirasse. Antiquorum quippe Græcorum hæc erat magnitudo, ut optimum laboris didactrum crederent, cum Auditor pauperior se ipsum donaret Præceptori: nunc in aureo hoc seculo ferrea docentium claustra vix perfringuntur, nisi malleus Philippi accedat Macedonicus. *Quamobrem exacto*

actō per varias molestias triennio, Parens monuit, vastari  
indies Lusatorum agros, redigi ad paupertatem homines in  
lautissima nuper fortunâ constitutos, adeoq; nollet mirari,  
fundum paternæ liberalitatis penitus esse exhaustum: Redi-  
ret in Patriam, cujus aliqui Patroni vel Cives promotionis  
aut auxilii spem non perfunctoriam fecissent, Ita invitus  
Academiam reliquit, invitus Patriam adspexit, nesciens â  
Deo se non destinari, nisi ornandis Zittanorum commodis.  
Neq; dubium est fuisse Anno statim M DC XXXVI. Scho-  
lasticæ functioni adhibitum, si Scholam desolatam, ac qua-  
tuor Collegarum præsentia ægrè sustentatam per avaros  
Martis alumnos licuisset restituere. Interim ne otio torpesce-  
ret paratissima sua docendi promptitudo, erudiendis perso-  
narum præcipuarum liberis privatim admotus, usitato  
PRÆCEPTORIS titulo innotuit. Equidem Studiosi in-  
formandis liberis dediti Præceptores audiunt; nec eo tempo-  
re alius è Studioforum numero Zitraviensibus similem ad-  
dixerat operam, ut facile WEISIUS, hoc Præceptoris no-  
mine, pluribus, quam suo, evaderet notior. Interim divinâ  
Providentia factum, ut Collegio Scholastico adscriptus, alio  
charactere à discipulis nunquam notaretur, ac aliquis Præ-  
ceptorem adventare intelligens, neminem nisi Weisium  
adesse crederet. Quem profecto honorem si ex immensa  
docentium serie soli huic contigisse dixero, quis est qui me  
refutet? Scholasticos vero labores publicè aggressus est Anno  
M DC XXXIX. Mense Martio, quo tempore Nobilissimi  
Consulis & Scholarchæ DN. JOHANNIS NESENI vo-  
ce & DN. M. CHRISTIANUS KEIMANNUS Recto-  
ris provinciam, ipse Weisius medium in Collegio locum si-  
bi deferri audiverunt, Et hic verò sæpe confessus est, nemi-  
nem ad nuptias & choreas lætiores animo posse afferre,  
quàm jucundus tunc fuisset in Scholam ingressus: inde pri-  
mam suæ functionis horam â sextâ ad septimam docendo  
jus-



jussus consumere, horæ tandem nonæ sonitu percepit, citius sibi quartam diei partem effluxisse, quam è tædio laboris unius horæ defectum sentire potuisset: mirantibus interim Collegis, qui in eadem clasie docenti debebant succedere, cur alienum laborem adeo libens in se recepisset. Sed Amor contemnit imò vincit molestias. Qui vult imitari Weisium, amet Juventutem: non amore utilitatis aut gloriæ, quam Philosophi dicunt Concupiscentiæ, & quam vel ipsi Judæi non negant Christianis; sed Amore Amicitiae, qui primum scopum in Salute discipulorum figi debere firmissimè credat. Dicitur vero non potest quanto flumine ad se ruentes viderit discipulos, qui ne severum quidem amare desinebant, quod ab Amore severitatem gubernari perspicerent, novamq; subinde industriam afferebant, quod nova discendi materia singulis diebus aperiretur. Sive tamen à curis domesticis absolutus negotia literaria curare vellet unice, sive speraret liberos, in quos fidei & industriæ propiorem fructum effunderet; Vitæ sociam quæsit ANNAM, GEORGII PROFELTI, Chemniciensium in Bohemiâ quondam Ecclesiastæ relictam Filiam, secundâq; Paschatos Feria M DC XLI publicè proclamatus, d. 8. Aprilis solennibus nuptiis eandem accepit Uxorem. Quam postea raro exemplo ita foecundam esse expertus, ut nullas liberorum exequias pararet, ac singulos tum placidæ mortis testes, tum funeris comites nunc habeat. Primus familiæ hospes Ego fui, natus Anno M DC XLII: singulari jam Dei beneficio, à Professione Gymnasii Weissenfelsensis nuper ad hujus Rectoratum vocatus, ut locum, quem diligentissimus Parens ornare læpe meruit, occuparet Filius & primogenitus, & primo educationis fervore ad prudentiam Scholasticam advefactus. Ad tuam vero conscientiam provoco, Amice conjunctissime, qui mihi Studiorum datus socius meminerris adhuc, quanto conatu nos subinde vellet cernere doctiores,

res,

res. Ipsum prandium, ipsa Cœna, ipsa feriarum otia nostris patebant usibus: Ne situ obduceretur memoria, quid in exercendis Latinorum, Græcorum & Hebræorum sententiis mansit intentatum? ne lingua non obsequeretur animo, quid ad comparandam loquendi extemporalitatem nobis detuit? ne calamus scribendo deficeret, quando dies abivit sine linea? ne ad Academiam dimitteremur rudiores, quid in Philosophia, quid in Theologia, quid in curiosis Geographiæ ac Chronologiæ libamentis, per succisivam diligentiam, quasi ex raptō non absolvit? Jam repetendis concionibus, narrandis historiis, proferendis Complimentorum, ut vocant, formulis, tentandis declamationibus eliciendis carminibus, uno verbo, exercitijs ad vitam potius, quam ad obscuram Scholam factis, ab otio vocabat animos. Et faxit omnipotens Pater, qui educationem haud omnino vanam esse voluit, ut plura fidelitatis exempla vel hic vel alibi conspiciantur imposterum. Servet Tibi filium, mihi informandi vires, & quamdiu mihi non defuerit docendi facultas, apud Juvenes meliores non desit accipiendi & proficendi voluntas. Nepotes ex me habuit tres: CHRISTIANUM tamen & CHRISTIANUM ELIAM, præmaturo fato ereptos nunc amplectitur in cœlo: JOHANNES ELIAS ultimum Matris morientis pignus, amissi Eliæ Patris desideria lenire suis blanditijs incipit. Puer Avo jucundissimus, nec in emortuali lecto ab ejus amplexu planè divulsus: quem Deus eo provehat imposterum, ut à Seniore ELIA, si non fortunam, virtutem tamen addiscat, mihiq; olim præstet hoc officium, quo nunc exsolvor. Sed ut pergam ad reliquos ramos Weisianæ arboris, alterâ vice factus Pater excepit JOHANNEM GEORGIUM nunc Philos. Magistrum, & Ecclesiæ Waltersdorfensis in agro nostro Pastorem, ex quo vidit, neptem ANNAM CATHARINAM, nepotem JOHANNEM CHRISTIANUM  
quos

quos nunc etiam videt in Cœlo: Ultimam ELEONORAM non vidit, quippe eo die baptizatam, quo publicè reciperet Emeriti relaxationem. Efficiat Deus ut ejus quoq; Conjugium aliqua familiæ fulcra impoſterum exhbeat, nec deſint, qui oculos tandem claudant morienti. Tertio loco acceſſit Filia ANNA CHRISTINA DN. JOHANNISEBASTIANO MÖLLERO Civi et Aurifabro jam collocata, unoq; ſaltem filiolo GOTTFRIDO auçta, quem tamẽ in cœlis verſantem Avus nunc habet propiorem. Sequebatur ANNA REGINA, hætenus B. Antecęſſoris mei DN. M. CHRISTOPHORI VOGELII Conjux, quæ conſtantiore fertilitate, dedit filios CHRISTIANUM & GOTTFRIDUM, filias ROSINAM ELISABETHAM, & JUSTINAM REGINAM quibus feliciter educandis Orphanorum ac Viduarum deſenſor ſuam indulgeat gratiam. Porro dedit filium CHRISTOPHORUM, qui ad excipiendos in Cœlo Patrem & Avum præmiſſus, hanc quoq; domum mortalitatis admonuit. Succedebat ELIAS, à Studiorum initiis Aurifabri amplexus artem: egregio indicio, nullam Eruditæ eſſe cauſam, cur Filios ſub aſtro minus literato natos, ſuo tamen ordini, aut volentes adducere, aut nolentes attrahere conentur: cum DEUS quemlibet vitæ ſtatum conſervari poſtulet, adeoq; non minus è plebejorum tuguriis aliquos ad Principum evehat palatia, quàm ex adverſo Clarorum hominum Poſteros ad ſuam redigere ſoleat originem. Ipſe nunc fixâ ſede apud Margliſſenſes in Luſatiâ noſtrâ paternæ benedictionis efficaciam expectat. Agmen liberorum claudebat ANNA DOROTHEA, DN. JOHANNI SCHWARZBACHIO Civi præcipuo collata, quæ bis facta mater, duos filios JOHANNEM GEORGIUM & JOHANNEM CHRISTIANUM Orbi oſtendit, Cœlo reddidit; futuros videlicet ſuperne ingredientis Avi Comites. Utinam ea vivum ſuæ pietatis fructum aliquando decerpant!

B

Plu-



Plura de his scriberem; Amicè exoptatissime, nisi ul-  
tro succurrere posset personarum memoria, quarum con-  
suetudine per annos tere quatuor es gavisus. Quamobrem  
redeo ad Historiam Ejus Scholasticam, cujus illustrandæ  
gratiâ omnis hæc suscipitur scriptio. Et verò sive Collegas  
spectes, sive Discipulos, utrobique singularem reliquit prudentiæ  
laudem. Cum Collegis ita vixit, ut tum ipse cum reliquis,  
tum alii inter se vel servarent, vel penitus non disrumpe-  
rent concordiaë vinculum: gnarus nihil officina Spiritus  
Sancti indignius dici vel excogitari posse, quam discordiæ  
ista, h. e. diaboli excrementa. Neq; obscurum nunc est, qui-  
bus artibus rem alioqui difficilem reddere potuerit facilli-  
mam. Si enim de lucro esset certamen, de suo potius jure  
non pauca remittebat, quo minus morosas aliorum audiret  
querelas: Si de autoritate ageretur, nemo est, qui tuos Au-  
ditores ad observanda reliquorum Præceptorum mandata  
arctius adstringeret. Noveris qua severitate nos sæpe ade-  
gerit, ut aliorum sibi infensorum lectiones recitarem, &  
exercitia purissimè descripta exhiberemus, inspectiones ve-  
neraremur. Unde factum, ut suis interdum virtutibus adscri-  
berent, quod modesto & concordi debebant Weisio. Et  
faxit Deus, ne virtutem, quam incolumem oderunt multi,  
ereptam ex oculis optare incipiant. Quod si de Labore in-  
tercederet certamen, ipse lapidem ab omnibus rejectum si-  
bi faciebat angularem, plura interdum recepturus, si diviso  
in diversas classes simul & semel diversa licuisset tractare.  
Sed effecit tamen ut liceret; quoties ægrotantibus aut ab-  
sentibus aliis, suâ dexteritate præstitit, ne Classes desertas  
fuisse conqueri possent discentes. Tandem si variis injuriis  
suam innocentiam peti persentisceret, tolerando potius vel  
contemnendo, quam certando & ulciscendo fortitudinem  
Christiano dignam exerceri credidit. Ita servavit Collegii  
vinculum, ita Posteris sese reddidit desiderabilem. Magnum

ve-

vero pondus afferebat inviolata apud discentes Auctoritas, quam, quibus consiliis stabiliverit, cognoscere facilius alii possunt, quam imitari. Sanè enim infimo apud superiores Collegas loco positus, eo processerat, ut superiores discipuli malè secum agi crederent, nisi in privatâ ejus Scholâ præpararentur ad Academiam. Cui staturam satis exiguam adjudicaverat Deus, huic ne refragari quidem audebant homines ad giganteam proceritatem evecti. Qui in delicta graviter animadverteret, in media pœna metum amoris mixtum inveniebat. Sic nimirum è difficultatibus eluctantur, qui Deo seriò se commendant, ac laboribus serio invigilant. Deus profecto hominibus instillat publicam Auctoritatis opinionem, Deus largitur docendi felicitatem, Deus stabilit disciplinæ securitatem. Nosti quanta domesticorum discipulorum obstreperet copia: quis autem eos in ordine retinuit, à lethalibus periculis prohibuit, ad legum deniq; præscriptarum observantiam adegit, nisi Deus humanorum cordium scrutator & moderator. Neq; labores refugere potest, qui Deum cogitat: sic à summo mane usq; ad mediam noctem concatenata deprehendit negotia, præ quibus sæpe, non dicam prandere, sed ne caput quidem scalpere poterat. Memineris per unam interdum horam octo Lectionibus suffecisse, occupatis interim & proficientibus singulis. Unde etiam in sedulitate & attentione dulcissimam laboris mercedem collocaverat, quicquid interdum pretii vel non exsolverent Parentes, vel subtraherent ingrati auditores. Scholam cogitabat, Juvenum profectus intendebat, certus familiam non fore miseram vel egenam, si Deus nomina à debitoribus neglecta compensaret.

Postquam igitur XXI. annos in hac Palæstra desudasset, mortuo DN. GREGORIO SCHMIDIO Collegæ Tertio datus successor, quod antea fecerat, repetendo confirmavit. Ac postquam Nobiliss. SENATUS de restauranda BIBLIO-



THECA in Templo ad D. Petri & Pauli cogitasset, ipse Librorum curam, Collegæ Quinto debitam, tanto quidem ardore, factus etiam Tertius suscepit, ut multorum insignis liberalitas, eo svadente provocaretur, Ordinemq; volumina alioqui dispersa pulcherrimum indipiscerentur.

Mortis primum quasi nuncium ab oculorum accepit imbecillitate, quam sublevavit perspicilli usus: nisi consuetudinem velis accusare, cujus necessitatem nos eidem imposueramus. Si enim respicere velis ad præterita, occupata erat Prima classis in adornandis Bacchanaliorum Comædiis, cum ipse nos ambos privatim juberet tractare seria, ac in tacito hoc otio recluderet tabularum Geographicarum scrinia. Sed oculi nostri errabant, nisi viam præiret oculus paternus, de minuto tabularum caractere sæpe conquestus. Accidit ut finito prandio Avia materna perspicillum offerret augendis literarum formulis non incommodum: arripit Pater, laudat, per triduum usurpat, nosq; exercet tanto vehementius, quo promptiorem operam pollicerentur oculi. Ast rediturus ad libros ordinarios affusam oculis nubem deprehendit, nec postea, nisi adhibito vitro, scripturam vel majusculam dignoscere valuit. Tantum sibi indulget natura per consuetudinem ignaviolem sublevata. Alterum nuncium intimavit memoriæ deficientis langvor. Quippe qui omnia secum portaverat, ac tres vel quatuor epistolas diversis Auditoribus, uno impetu scribentibus, ad calamum dictitare potuerat, sensim ab ea felicitate se deturbari dolebat, seu ut rectius loquar, sensim ad mortem se invitari gaudebat. Tertium eumq; gravissimum nuncium attulit Autumnus Anni MDC LXXV. quo tempore Catarrhus apoplecticus dextro lateri incidens loquendi usum, movendiq; omnem facultatem sic ademit, ut de restituenda valetudine, non pauci desperarent. Indulfit tamen DEUS & naturæ, quam habuit firmissimam, & Medico, quem expertus est sedulum,  
hanc

hanc gratiam, ne Schola Administro hoc tum privaretur. Reversus igitur ad labores, si quietem vespertinam excipias, antiquo rigore singula cœpit exigere. Quinetiam deducendis exequiis pedes nimium languidos nunquam subtraxit: quicquid Patroni svaderent, velle se hujus oneris relaxationem libenter permittere. Aut enim nihil præstare volebat, aut omnia. Unde prementibus senii comitibus, meaq; filii intercessione, permoti Nobilissimi Patroni, statuerunt, quod in Gymnasio nostro nunquam esset factum, Solenni Oratione dimitteretur Emeritus Senex, eidemq; certa pecuniæ portio adjudicaretur, unde non exactum, sed honorificè deductum se intelligeret. Ac destinatum huic Actui fuisse diem XVII. Januarii Anni præsentis M DC LXXIX. Oratio typis exscripta te docuit. Ex eo tempore, ut otium â suis rebus semper alienum perferret facilius, privatis auditoribus adhuc vacavit, Templum frequentavit, scribendoq; & legendo sese exercuit, donec imminente Paschatos festo, rogaret discipulos, vellent alium quærere Præceptorem, quandoquidem sibi negarentur vires his meditationibus pares. In Scholam semel rediit d. XXVIII. Martii ad audiendam B. Vogelii Generi quondam sui Parentationem, quam valedicturi in argumentum elegerant: Pedem tamen foribus exponens, ultimò nunc, inquit, Classem vestram adspexi. Factus profecto suæ fortunæ vates. Licet enim die Viridium in templo Sacra Eucharistia frui adhuc posset, ipsoq; Paschatos Festo â Sacris antemeridianis nollet abesse; altera tamen Paschatos feria, quâ die ante annos trînginta octo proclamatus fuerat Sponsus, egrediendi hanc facultatem consumpsit. Nimirum è concione reversurus, in ipso templi vestibulo tantum non corruens, circumstantium operâ in ædes meas deportatus, carpento domum vectus est. Sensimus dextro lateri veterem insedis fluxum, Deoq; commissimus valetudinem. Referre impræsentiarum libet

singularem Weisianæ industriæ indicem. Dum enim negotiis literariis incumbit, singulis diebus Versum Græcum, Latinum, Germanicum, unâ cum dicto Hebraico in chartam coniecit, geminam rei causam afferens, facere hoc tum ad pietatis culturam, tum ad lingvarum, in Schola necessariorum perpetuam recordationem. Neq; ingravescente Senectute omnino hanc operam deposuit, quo minus latino & germanico disticho dictum aliquod cujuscumq; lingvæ adjiceret. Altera igitur Paschatos feria d. III. April. paucis ante morbum horis, hæc perscripta reperio, unde langventem senis calamum, sed animum firmissimum intelligas.

*Ut recte amplectar verbum cœleste, Jehova,*

*Da vires animi, omni Deus atq; Pater!*

Subscripserat dictum Psalmi 103. *Non facere Deum secundum nostra peccata.* His verbis scripta sua obsignavit, qui multa scripsit, multos scribere docuit. Ex eo enim dextra manus officium prorsus negavit, vigente interim sinistra. D. VIII. Aprilis dextrum latus aliquo dolore affectum, vitæ spem dedit: ast sequente die adscendentibus punctationibus ad ipsum Caput, facile perspectum est impugnari vitalia: cum præsertim ipsa sinistra lentius ad motum regeretur. Neq; longa dolorum vis, inclinante natura ad Somnum seu mortis somnolentum prodromum. Sic dormienti quam langventi similior, apertis interdum oculis, in filios filiasq;, si qui forte non essent præsentibus, inquisivit, cantilenis fractam suam vocem adjunxit, donec in dormitantem suam quietem se rursus componeret. Animi defectum nunquam est passus. Licet enim pridie idus emortuales Latino sermone, quasi discipulos examinaturus & objurgaturus aliena videretur loqui, nesciebamus tamen præparari eum ad rationes villicationis coram Deo reddendas, quas certè, si quispiam alius, nunc reddidit consummatas. Langvidius autem in hoc ipso somno subinde suspirans, omisso tandem halitu beatam quietem



tem se inchoasse demonstravit, dimidia quinta matutina d. XIII. Aprilis. Oculos clauferunt Uxor & liberi, Benedictio- nis solennem formulam acclamavit Filios Sacerdos. Nunc animæ beatæ exuvias ad hanc ipsam XVIII. Aprilis diem communi matri trademus, non sine Spe frequentissimas fore exequias: nam ipse nunquam a funeribus abesse sustinuit; quin & Discipuli, quorum præcipua nomina Orationi dimissoria nuper adscripseram non denegabunt ultimum hoc pietatis officiū. Vixit Annos LXX, nisi quod deficient Mense? III.

Sic peracta est vitæ fabula, Amice suavissime, sic addita est Catastrophe. Sic valeamus & plaudamus. Virtutum apud nos vigebit memoria. Nam, ne hic narratio remaneat mutila, Temperantiæ sic erat Studiosus, ut cibi potusq; constitutam mensuram nunquam excederet: iudicans animi Organon sustentari debere non onerari: Inde corpori suus constitit vigor, ultimumq; Senectutis morbum vegetus in vultu color mirificè dissimulavit. Avaritiam adeo a se habuit alienam, ut parum putaret gratuita informatione pauperiores sublevare, nisi beneficiis etiam solaretur. Ambitionis vitio ne minimam sui patrem concessit: nihil sibi, nihil gloriæ, omnia Deo & juvenibus consecrans. Inde publica ingenii documenta non extant, si excipias manuactionem Lingvæ Græcæ tironibus utilem. Nam in Enchiridio Keimanniano, cum adjiceret plurima, ac imprimis Syntaxin Convenientiæ & discrepantiæ, unde tirones scirent quantum cum vernacula conspiraret Latinitas, quantum pugnaret; ipse nomen legi in præfatione prorsus noluit. Et meminisse accedere discipulum, cujus Præceptor dictata Parentis Logica, pro suis venditasset: tantum vero abest, ut fuerit indignatus, ut potius ad me scriberet, se gratias agere Deo, quod talia potuisset procudere, quibus alii non dubitarent addere nomen. Ast maxima Pietatis cura, ad quam Lectio- nis cujuslibet scopum dirigebat, nec majori odio homi-  
nem

21 4215 OK  
nem proiequebatur, quam qui in operibus suis profiteretur  
Atheismum. An vitia virtutibus adhæserint, meum non est  
exponere. Interim multa ab intempestivis censoribus aliter  
fuisse accepta non negaverim. Iracundum aliqui dicebant;  
sed erga omnes humanus & affabilis, neminem Ira judica-  
bat dignum, nisi quis paternas ejusdem admonitiones con-  
temneret, circulosq; iuformandi semel descriptos auderet  
turbare. Neq; diuturnus hic motus, quin abiret in pla-  
cabilem serenitatem: si præsertim meliora promitterent. Ex  
adverso nimis facilem alii jactitabant, qui blandis discipulo-  
rum adulationibus, simulatoq; pietatis studio nimium tribue-  
ret: sed aberat culpa, in homine, qui omnes ex suo ingenio  
æstimaret. Mendacio erat infensissimus: quamobrem men-  
dacii suspicione neminem erat gravaturus, antequam ex-  
ternis actionibus convinceretur. Uno verbo, educatus fuerat  
per timidas belli miseras; didicerat igitur multa pati, pau-  
cis esse contentus, neminem lædere, suum cuiq; tribuere,  
ac Dei auxilium expectare. O largiarur Deus, ne Juvenum hodierno-  
rum ferocia, Martiis ejusmodi Magistris ad modestiam componatur:  
sed spectata Senum exempla movendis ac erudiendis animis sufficiant.

Tibi vero, Amice optime, consecrare epistolam debui, non quod in  
ædibus paternis eodem doctrinæ nutrimento mecum fuisti imbutus, aut  
quod hætenus è loquinquo affulserunt constantiæ documenta: sed ac-  
cessit causa plane singularis, tantoq; amico digna. Nupero enim XII.  
April. die circa horam nonam vespertinam, septem horis ante Beatum  
Parentis obitum, advolabat epistola, cui incluseras carmen, nuptiis GER-  
MINIANIS dicatum. Gaudebam in medio luctu Amici scripturam of-  
ferri, quæ vel solo adspectu præberet solatium. Ast penitus introspeci-  
enti occurrebat facta Parentis mentio, *nunquam in Tuis precibus felici-  
tatem ejus negligi*: sequebatur Epiphonema: *optare te, vellet Deus  
cælo maturos perducere ad æternam Beatitudinem*. Nec mora, exaudie-  
bat Deus preces, maturoq; exitu attingebatur beatissimus in Cælo status.  
O perge pietatem in nos effundere, quam reciproca nostra semper de-  
merebitur devotio! Perspeximus quæ precum Tuarum sit efficacia: Per-  
mittat Deus ut nunquam non perspiciamus. Absint ab ædibus Tuis in-  
tempestivi luctus, MATUROSQ; TANDEM BEATITUDINI INSERAT. Vale.

*Dabam Zittavia è Gymnasio. d. XVIII. Apr. M DC LXXIX.*

von Zf 4215  
100

ULB Halle  
004 837 835

3



f





CR. 278

46

AMICI

ELIÆ

IN GYMNA

PER XL. A

CEI

IPSO EX


XVIII.

M. CHRISTO

ECCLESIAST



Liter



II, NSI

REM,

35

THECA AVIANA



TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

